

etabilis et magnificus comes Marsigli, finito Carlovicensi pacis congressu, in maximi momenti negotiis servitium nostrum tangentibus, veredaria occasione huc Viennam redux, in publica via prope pagum Ocza, in comitatu Pestiensis existens, habitum per nonnullos latrones ac praedones invasus, cocus eiusdem ad latus suum trucidatus, ipseque aliquot vulneribus dire sanciat, nec non mobilibus et impedimentis omnibus penes se habitis, penitus expoliatus exstiterit. Ac ob id vobis in quorum nimirum comitatu praenotata depraeditio accidisset, ac ibidem facti huius complices et receptatores versari existimabantur, benigne demandaverimus, quatenus dictum spoliū aut in natura, aut in praetio per paeattactos reos et complices mentionato comiti damnificato efficaciter resarciatur, ac etiam eiusmodi praedonibus serio inquiratur, quive eorundem deprehensi fuerint condigno supplicio afficiantur et repetito comiti iusta eatenus satisfactio impendatur. Quia tamen modofatus comes perpassi damni sui, ne hactenus etiam suam adipisci potuit satisfactionem, interim vero publici iuris regula requirat, ut spoliato condigna praepremis restitutio obveniat, servitiumque nostrum et regni tranquillitas exposcat, ut eiusmodi facinora, novissime aut dudum perpetrata, nullatenus impunita remaneant, immo omni meliori modo per inquisitionem in apicū prodeant. Et siquidem unus ex memoratis praedonibus, nomine *Andreas Vilmány* nuper in comitatu Bekesiensi una cum corpore delicti, argenteis quippe vasis quibusdam, nomine et sigillo mentionati comitis Marsigli signatis deprehensus. Aradinumque deductus et ibidem examinatus, praedoni huius convictus et confessus, mortisque supplicio affectus, receptatores et complices huius execrandi spoliū judicialiter detexerit ac indicaverit. Hinc benigne visum est maiestati nostrae fideli itidem nostro generalis campi mareschalli locumtenentis et unius aequae regiminis colonello et partium Cis-Tybiscanarum commendanti comiti a Schlik benigne simul ac serio committere, ut omnem adhibeat operam, quo supra-recensiti complices et receptatores patrati huius spoliū palam fiant, debite castigentur, indeque alii ita absterreantur, ut cum post longum etiam tempus eiusmodi enormia scelera neutiquam inulta relinqui perscripant, ea deinceps perpetrare, aut adiuvando similes praedones de iisdem participare temerarie nullatenus praesumant sed et publica per hoc regni tranquillitas non modo custodiatur, verum etiam mentionato comiti Marsigli condigna satisfactio et illati damni restitutio in quantum fieri poterit et aequitas admiserit, a comitatibus vel communitatibus intra quorum limites hoc latrocinium commissum est obtingere, receptatores porro ac complices ubicunque reperti, de merito plecti supplicio possint.

Quapropter vobis harum serie benigne committimus et mandamus, quatenus dum et quando memoratus comes a Schlik demandatam sibi in praemissis inquisitionem suscipiendam cupiverit, vosque superinde requisiverit, eidem eatenus iuxta exigentiam omni modo assistere et coniunctim, ut saepefato comiti Marsigli ad mentem benignissimi mandati